



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 16. Overburius violenta morte sublatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. A. C. 1613. thonum Comes, quam potens sit in An-
 glia auctoritas Regis in *Judices*, quorum
 quatuor erant Episcopi, & tres Laici:
 Die igitur secunda Decembris Comitissa
 eidem, cujus antea illicitis sese di-
 cabat amplexibus, solemnibus pompa nu-
 pserat, Scotis palam per ludibrium
 spargentibus, quod ipsemet Rex suos
 clientes edocuerit, quo artificio suas
 amantissimas Maritis eripere, & sibi copu-
 lare valerent; jam enim Rex pari ratio-
 ne in Scotia Marchiæ Comitissæ matri-
 monium dissolvit, ut Araniæ Comes
 Regis cliens hujus uxorem ducere pos-
 set. Ceterum Rex eundem Robertum
 Carrum peractis nuptiis Sommerseti
 Comitem creabat.

§. XVI.

Overburius violenta morte sublatus.

Wilson Hist. Jacob. I. pag. 73.
Calmet Hist. Univ. t. 16.
Anton. Waldon Cour du Roi Jac. pag. 80.
 In hoc matrimonio novi Sponsi uni-
 ce eo intenti erant, qua ratione in-
 noxium Overburium e medio tollere
 possent, quin tamen in necis suspicio-
 nem traherentur. Post varias consul-
 tationes tandem veneni clam propi-
 nandi consilium præplacuit: hanc in-
 rem Turneria rursus suum obtulit ob-
 sequium, subornans juvenem nomine
 Weston, quem carceris Præfectus
 in captivi famulum cooptare jubeba-
 tur:

tur: Referunt quoque nonnulli, quod Sæc. XVII.
 Northamptonius Comes cuncta conscio A. C. 1613.
 Rege fieri, Præfectum admonuerit, Wilson p. 74.
 ali vero, quod & vero magis simile est, Wilson p. 74.
 testantur, quod licet Præfectus cibos
 subinde huic captivo a Vicedomino sub-
 missos in cloacam projecit: nihilo-
 minus Westoni malitia acciderit, ut
 captus Overburius congelatum succum
 veneno imbutum fumeret, unde miser
 gravissimo morbo, quin illius causam
 nosset, conflictari cæperat: Cum vero
 veneni vehementiam sentiret, suæ-
 que miseræ auctorem haud ignoraret,
 ad Carrum Vicedominum literas dedit,
 supplex, ut ipsum e funesto hoc statu
 liberare vellet, cui tamen Vicedomi-
 nus respondit, quod Rex adhucdum
 vehementi ira in eum concitatus esset,
 nec ipse adhuc propitiam ipsum placan-
 di occasionem nancisci potuerit, de ce-
 tero eidem in mali remedium quosdam
 submitteret pulveres: Verum vix exi-
 stimatam hanc medicinam sumpserat
 Overburius, cum illico ad morbum
 nova fieret accessio, quæ tamen Carro
 ejusque Conjugi adhuc nimium debilis
 videbatur ad accelerandam mortem il-
 lius, qui ambobus aliquando negotium
 facessere potuisset, quocirca Franklinum
 Pharmacopolæ famulum auro corrupe-
 runt, ut misero venenatum porrigeret
 clyste-

Sæc. XVII. clysterem, quo etiam paulopost ad su-
 A. C. 1613. premas mortis angustias redactus est.
 Ne vero relicta in corpore vestigia ve-
 neni suspicionem ingererent, mox Frank-
 linus, & Westonus Overburium cum
 morte luctantem injectis lecti stragulis
 oppresserunt, mortuumque nulla mora
 ac sine omni pompa sepelierunt, sparso
 in vulgus rumore, quod corpus ejus
 ex pustulis tantopere deformatum esset,
 ut diutius extra sepulchrum sustineri
 haud potuisset. Tam crudeli ac pro-
 pudiosa morte vitam, famamque amit-
 tere cogebatur infelix hæc muliebris
 libidinis victima Robertus Overburius,
 qui Vicedomini nunc carnificis sui, olim
 vero intimi amici commodum & glo-
 riam unice augere intentus, totam ne-
 gotiorum molem, quæ soli Carro nimis
 onerosa fuisset, semper suis humeris
 imposuerat, rei autem bene gestæ ho-
 norem & gloriam soli amico suo inte-
 gram relinquere assuetus erat.

§. XVII.

*Pax inter Danicæ & Suevicæ Reges
 restituta.*

Jäger. Hist. Eccl. l. 2. c. 7. Pax Suecos inter & Danos, quamprimum Gustavus Adolphus Regni gubernacula capeffebat, urgente Jacobo I. Angliæ Rege tractari cæperat, ast sub-
 inde